

que sacre Regum Majestati lædere tentaverint, aut ad eundem spoliandum aliqua suarum ditiorum parte occultas conflaverint conjurationes: *Concord. an. 1737.*

Art. I.

2. Homicidæ, qui animo deliberato, ac præmeditato aliquem interfecerunt: Benedictus XIII. *Constit. Ex quo:* etiam mulieres, nullis obstantibus privilegiis: Benedictus XIV. *Constit. Officii Nostri §. VIII.* Et Ecclesiastici cujuscunque gradus, ac Ordinis; Regulares quoque cujuscunque Ordinis, aut Militiæ, cujuscunque gradus, aut conditionis, et quibuscunque privilegiis non obstantibus, dummodo de commisso crimine à Judice Ecclesiastico cognoscatur, et sententia citra pœnam sanguinis feratur: *ead. Constit. Benedicti XIV. §. VI. et VII.* Demum quicumque homicida cujuscunque sexus, ordinis, aut dignitatis, qui baculo, aut saxo proximum occiderit, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, actum illum, quamvis in rixa, non casu, aut necessaria defensione, sed ex odio, aut nocendi animo, ac voluntate prodixisse: *ead. Constit. §. IX.* et qui opem, vel auxilium ad id præstiterint, si tantum viginti annorum ætatem expleverint: *Constit. Clementis XII. Alias Nos §. VI.*

3. Assassini, æque mandantes, quamvis mors secuta non sit, ac exsequentes: Benedictus XIII. *ead. Constit. Ex quo,* et Clemens XIII. *mox laud. Constit. ibid.*

4. Qui falso Curia nomine usurpato sese in alienas domos tanquam veri justitiæ ministri insinuant, ibique rapinas committunt, dummodo homicidium, aut mutilatio sequatur: *ead. Constit. Benedicti XIII.*

5. Qui Ecclesiam, vel cœmeterium occisione, vel mutilatione violaverint: *Leg. II. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* etiamsi intra Ecclesiam, vel cœmeterium existens extra positum interfecerit, vel mutilaverit: *ead. Constit. Benedicti XIII.*

6. Adulteri, ac Raptores Virginum, et qui Principi ad tributa solvenda obligati sunt: *Lege finali Tit. XI. Partit. I.*

7. Falsarii litterarum Apostolicarum, ministri Montium Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci furta, et fraudes in prædictis locis committentes, cujus caussa pœnæ ordinariæ locus sit; ac adulterantes, et tondentes monetas aureas, vel argenteas, vel eas scienter expedentes: *ead. Constit. Benedicti XIII.*

8. Grassatores, prædonesque viarum: *Constit. Gregorii XV. et præf. Leg. III. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* etiam propter unicam, et simplicem grassationem, dum tamen mors, aut mutilatio ejus, cui vis illata est subsequatur: *Concord. an. 1737. Art. I. et Benedictus XIII. laud. Constit.*

9. Nocturni depopulatores agrorum, qui segetes, vineas, arbores, aut alia quæcunque fructifera abraserint: *Leg. IV. Tit. XI. Partit. I.* et laud. *Leg. III. Novæ Recop.* imò et publici latrones: *ead. Constit. Gregorii XV.*

10. Hæretici, et potiori jure Apostatæ à Religione: *ead. Constit. Gregorii XV.*

11. Qui ab Ecclesia reos extrahunt, vel extrahi jubent: *ead. Constit. Benedicti XIII.*

12. Debitores, qui præstita à Judice sæculari cautione de non imponenda eis pœna corporali ab Ecclesia dimoveri, et in carcerem detrudi possunt: *Leg. XIII. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.*

13. Milites ab exercitu subterfugientes, qui eadem præstita cautione jurata, extrahendi sunt: *Decr. Reg. 2. Martii an. 1708. in Adnotat. 2. ad Sanct. un. Tit. II. Lib. I. vulgò Autos Acordados. (*)*

(**) XXVI. Regiis etiam Ministris Ecclesias, Hospitalia, Monasteria, et alia quæcunque loca à sæculari jurisdictione exempta adire licet, ibique res contra jus Regium clam inductas, vulgò *de contrabando*, perquirere, adsociatis tamen ipso Provisorio, seu Vicario Generali, vel Foraneo Episcopi, qui per se requisitionem in

Monasteriis Monialium facere tenentur, licet ad alias quaslibet Ecclesias lustrandas quæcumque Ecclesiasticam personam eligere possint. Fraudulenti homines, vulgò *Contrabandistas*, cum armis ad Ecclesias confugientes, statim debent armis ipsis exspoliari, et penes personam à Judice Ecclesiastico deputatam, deponi. Sic indulisit Nuntius Apostolicus Henricus Henriquez Ministris Reg. Patrimonii die 6. Mart. an. 1749. (*)

ARTICULUS XI.

(**) LOCORUM IMMUNITUM CONSTITUTIO. (*)

(**) XXVII. Quum nimium quondam locorum immunitum numerus exerevisset, paucique invenirentur improbi homines, quibus facilis ad Asyli per fugium via non pateret, in grave publicæ tranquillitatis nocumentum, hinc Concordati lege an. 1737. *Art. III.* visum fuit Immunitatem adimere Eremitoriis, iisque Ruralibus Ecclesiis, in quibus raro per annum Res Divina peragi solebat. At quum experientia compertum sit, comprimendæ perditissimorum hominum audaciæ, moderationem hanc adhuc non sufficere, Clemens XIV. ad petitionem Caroli III. ad unam in unoquoque Loco, vel summum duas secundum eorum frequentiam, ab Ordinario deputandas, Asylum præstringit; *Constit. data 12. Sept. an. 1772.* Hinc Martiti, quæ populosissima civitas est, binæ constitutæ sunt Ecclesiæ, scilicet, Parochialis S. Sebastiani, et *Filialis S. Ginesii M.* quæ titulum præfert S. Ludovici Episcopi. (*) (1)

(**) XXVIII. Verùm oportet ut eriminosi, qui sese in Ecclesiam receperunt, *honeste, et decenter se gerant, nec ullo modo ludant, nec familiaritatem habeant cum suis uxoris, vel aliis intus Ecclesiam, nec adstent in januis Ecclesiarum, nec in cœmeteriis jocando, vel cytharas pulsando, nec utendo aliis colloquiis otiosis, sed solitarie vivant, et tanquam personæ, quæ erraverunt, et cum omnimoda humilitate, et honestate.* *Synod. Hispalens. an. 1512. Capit. XXXIX. (*)*

CAPUT DECIMUS QUARTUS.

DE SEPULTURIS.

I. Loca sepeliendis Christianorum cadaveribus destinata jam indè ab antiquis Ecclesiæ temporibus *Cœmeteria* dicta sunt; quòd illie deposita fidelium corpora, quasi ad dormiendum jacere existimarentur, donec Christo adveniente resurgerent: *Apost. I. ad Thess. IV. v. 12. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus:* in quæ S. Hieron. *eos dormientes, inquit, adpellari, quia certum est eos resurrecturos.*

II. Jam verò loca hæc sepulturis destinata antiquitus haud quidem in civitatibus, vel in oppidis; at verò extra mœnia in viis publicis fuisse posita, tum ex Romanis constat Cœmeteriis, quorum circiter quadraginta tria recenset Baronius, cuncta in Romæ suburbanis ex æquo constituta: ex Neapolitanis etiam, quæ tanquam Romanis nobiliora, et spatiosiora summopere commendant Gilbertus Burnet *Ep. 4.* et Mabillonius, *Mus. Ital. Tom. I. pag. 14.* quæque et ipsa extra

(1) In urbe Moreliæ, olim Vallisoleti, ab Illmo. *D. D. Ferdinando de Hoyos* assignatæ fuerunt Ecclesiæ SS. Patriarch. *D. Josephi* et capella hispanicè vocata *de Nuestra Señora de los Urdiales.*

mœnia fuisse nominem latet; tum vel maximè ex eo, quòd leges Romanæ, ne mortui intra pomerium sepelirentur, omninò vetabant: quibus sane legibus per se *indifferentibus* Christianos obtemperasse, nihil est cur dubitemus; præsertim quum earundem violatarum nomine nunquam accusati inveniantur.

III. Præterea neque intra Ecclesias sepulturas struere permissum. Et sane Cœmeteria ædificia erant ab Ecclesiis distincta; (**). Concilium enim Illiberitanum *Canonibus XXXIV. XXXV. XXXVI. et XXXVIII.* verum agnoscit Ecclesias inter, et Cœmeteria discrimen, (*) eaque plerumque in viis publicis extra mœnia constructa; uti de Romanis observat Onuphrius Panvinius *de Cœmet. cap. 12.* nimirum via *Appia, Aurelia, Ostiensi, Nomentana* &c. id quod IV. V. et VI. sæculo adhuc obtinuisse constat et Leg. Theodosii *Cod. Theod. de Sepulcris violatis*; ex Chrysost. *Serm. de Fide, et Lege naturæ*; ex Sidonio Apollin. *Lib. III. Ep. 12.* et ex Conc. Brac. I. *Cap. XVIII.* (**). alias *Can. XXXV.* quod ita sanxit: *Nam si firmissimum hoc privilegium (à præf. scilicet Lege Cod. Theod.) usque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum cujuslibet defuncti corpus hametur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere.* (*) (1)

IV. Secutis temporibus paulatim, et veluti quibusdam gradibus humatio in Ecclesiis, et intra civitates inducta est. Et quidem sæculo IV. ille primùm honor Martyribus tributus est, ut super eorum corpora, vel corporum reliquias altaria erigerentur: Conc. Carthag. V. *Can. XIV.* Tum solis Regibus, et Imperatoribus sepultura intra civitatem concessa; necdum tamen in Ecclesia, at in atrio, aliisque exterioribus Ecclesiæ ædificiis. Hoc de Constantino narrant Eusebius *Vit. Const. Lib. IV. cap. 70.* et Chrysostomus *Hom. XXVI. in II. ad Corint.* et de Theodosio Sen. Arcadio, et Theodosio Jun. Chrysost. ipse *Lib. Quod Christus sit Deus cap. 8.* et Nicephorus *Lib. XIV. cap. 58.* Dein sæculo V. ad idem privilegium admissi laici: adhuc tamen per leges æque civiles, ac Ecclesiasticas in Ecclesiis sepelire vetitum; et quidem ad sæculum usque IX. uti ex Conciliorum per ea tempora hitorum canonibus liquet; (**). ut patet in Syn. Brac. I. præf. *Can. Placuit ut corpora defunctorum nullo modo in Basilica Sanctorum sepeliantur; sed si necesse est, de foris circa murum Basilicæ usque adeo non abhorret;* (*) et ex lege Justiniani *Cod. Just. Leg. II. de Sacros. Eccles.* tum et ex legibus Caroli M. *Capitul. Lib. I. capit. 159.* et Leonis Sapientis *Novell. LIII.* Interim verò alicubi etiam intra Ecclesiam sepeliri primariis quibusdam viris permissum; uti Episcopis; Abbatibus, Presbyteris, atque etiam laicis vitæ sanctimonia conspicuis: Conc. Mogunt. an. 813. *Can. LII.* Atque id in jus Romanum apte quadrare videtur, quòd sinebat quosdam in Urbe sepeliri privilegio virtutis, vel dignitatis causa dato. Demum IX. sæculo Episcoporum arbitrio relictum est decernere, quosnam in Ecclesiis sepeliri deceret, (**). quod etiam jus sibi reservandum agnoscit Arnaldus de Peralta *Episcop. Valen. an. 1262. in Constit. Synod.* (*) Et quamvis posterioribus sæculis vetus de sepulcris disciplina adeo exoleverit, ut et omnibus promiscuè fidelibus in Ecclesiis sepeliri permitteretur, et sepulcra etiam gentilia, et familiaria in Ecclesiis extruerentur; semper tamen Ecclesiæ hac in re eadem sententia fuit; scilicet ut fidelium corpora non in Ecclesiis, sed in cœmeteriis sepelirentur. Undè in Rituali Romano jussu Pauli V. edito *de Exsequiis*, sic

(1) In memoriam revocate schedulam 3 die Aprilis ann. 1787, in qua prescribitur ut cœmeteria ventis sposita restituantur, et servetur lex 11, tit. 13. Part. 1. cum cæteris præceptis quæ continentur in illa, cui jungis eam sanctionem in 1 die Novemb. ann. 1813 editam ab ordinibus Hispanicis quos *Cortes e pañalas* vocamus.

decernitur: *Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeteriis retineatur, et ubi fieri potest restituatur.* Idem quoque indicat peculiaris consecrationis cœmeteriorum ritus à Rituali Romano præscriptus. (**). De cœmeteriis uti proprio sepulcrorum loco latissime Alphonsus Sapiens à *Leg. II. Titul. XIII. Partit. I.* (*)

V. Jam verò quandonam hic consecrandi, sive benedicendi cœmeterium ritus in Ecclesiam inductus fuerit, in certum est. Ejus meminit primus S. Gregorius Turon. *de Gloria Confess. cap. 106.* Simile igitur verò est pænè cum Ecclesiæ consecratione ipsam etiam cœmeterii consecrationem cæpisse, seu potius cœmeterium, tanquam unum ex exterioribus Ecclesiæ ædificiis, una quasi consecratione cum ipsa Ecclesia fuisse consecratum. Et sane cœmeteria plerumque ipsis Ecclesiis adiacebant: *Can. XV. Caus. 13. Q. II.* Ex hodierna Ecclesiæ disciplina cœmeterium sive Ecclesiæ adiaceat, sive ab ea remotum sit, peculiari in Rituali Romano præscripta benedictione consecrandum est; quinimmo et peculiari ritu reconciliandum, si illud pollui contingat: *Cap. 7. de Consecr. Ecclesiæ.* Polluta verò Ecclesia intelligitur pollutum etiam Cœmeterium ei adiacens; at non è converso quum hoc sit accessorium, illa verò principalis.

VI. Sepeliendus quisque in loco, ubi Sacramenta percepit, seu in propria Parochia, licet alibi mortuus sit: *Cap. 1. et 2. hoc tit. item Cap. 3. eodem in VI.* Et sanè nunquam dubitatum est, Ecclesiam Parochialem, ejusque Cœmeterium proprium esse sepulturæ parochianorum locum: æquum enim visum est, ut quos Parochus vivos curavit, eosdem defunctos non deserat. Peregrini etiam in Parochia, ubi eos decedere contingit, sepeliendi sunt; si modò apud suam propriam Parochiam sepeliri nequeant: (**). *Compil. Tarracon. Lib. III. Tit. XVI. cap. 3.* (*)

VII. Jam verò excipe 1. Monachos, et Regulares, eorumque novitios, et oblatos, qui intra Monasterii ambitum, vel Ecclesiam sepeliendi sunt: *Cap. fin. eodem in VI.* Porrò laici simpliciter in Monasterio habitantes, nec obedientiam aliquam promittentes, aut Ordinis vestem gestantes in Ecclesia Parochiali inhumandi sunt, quippe qui Monasterii juribus, ac privilegiis non fruuntur, manentque Parochis subjecti: unde et stato Paschatis tempore in Parochia Sacram debent sumere Communionem: *Conc. V. Mediol. Part. I. Constit. 9.*

VIII. Excipe 2. Canonicos, qui in Ecclesia Capituli sepeliendi sunt, etiamsi alibi habitent. Cardinales quoque, et Prælati in suis titulis, vel Ecclesiis, quibus præsumt, sepeliri debent: et generatim consuetudine inductum est, ut omnes Beneficarii in Ecclesiis, quibus per beneficium incardinati sunt, sepeliantur.

IX. Excipe 3. Mulieres, quæ si non elegerint sepulturam, sepeliendæ sunt cum suis viris: *Can. II. §. 1. et Can. III. Caus. 13. Q. II.* Quòd si mulier quædam plures habuerit maritos, est cum ultimo, cujus domicilium, et honorem retinet, sepelienda: *Cap. 3. hoc tit. in VI.*

X. Excipiendi sunt 4. qui sepulcra habent suorum Majorum, sive gentilia, sive familiaria: ibi enim sepeliendi sunt: *Cap. 1. et 3. hoc tit. et Can. VII. ibid. nisi alibi sepulturam elegerint: indicato Cap. 1. et Cap. 2. eodem in VI.*

XI. Hactenus dicta de iis intelligas, qui non constituto prius sepulturæ loco decesserunt: ceterum quisque potest, ubi velit illam eligere, dummodo Ecclesiam, Cœmeterium, vel saltem locum religiosum constituat: electio enim de loco profano tanquam irrationabilis respuenda. Porrò facultate eligendi sibi sepulturam carent tum Religiosi, quippe qui velle, et nolle non habent; unde, uti modò observavimus, in suis Monasteriis, nisi longe ab eis absint, eos humari jus est: *Cap. 5. eodem in VI.* tum etiam Impuberes, quibus quum non sit facultas testandi, neque

facultas est eligendi sepulturam; sed Pater eis eliget, si id consuetudo ferat; alias in Ecclesia Parochiali, vel in Majorum sepulcris eorum cadavera condantur.

XII. Jure communi antiquo Ecclesie duntaxat Parochiales loca erant Fidelium inhumationi destinata: nec alibi quis sepeliri poterat. Porro successu temporis, sicuti fidelibus facultas sibi eligendi sepulturam, etiam extra Parochiales Ecclesias concessa est, ita quoque aliis locis religiosis jus inhumationis elargiri oportuit; idque jure speciali, sive ex privilegio. Verum privilegium hoc tantummodo jus inhumationis spectat, haud verò Exsequias, quæ Parocho, et Ecclesie Parochiali non censentur ademptæ. Quamobrem ex decreto Sac. Congr. Concilii, licet defunctus ad aliam, quam ad Parochialem Ecclesiam deferendus sit, debet tamen proprius Parochus advocari, nec cadaver è domo educendum, antequam Parochialem acceperit benedictionem. Quinimmo in Galliis, aliisque finitimis regionibus illud moris est, ut cadaver priùs ad Ecclesiam Parochialem deferatur, ibique Exsequiæ, ac præsertim Missa funeralis celebretur, et sic dein ad Ecclesiam electæ sepulture adportetur. Et sanè æquum videtur, ut filius mundo demigrans matrem saltem agnoscat, quæ eum suo lacte pavit.

XIII. Præterea quum aliis Ecclesiis præter Parochiales nonnisi jus inhumationis ex privilegio tributum sit, hinc oblationes, aliaque occasione sepulture illis Ecclesiis relicta, non prorsus iisdem adroganda, sed eorundem saltem pars aliqua Parochiæ debetur; scilicet tertia, vel quarta major, aut minor pro locorum consuetudine: *Cap. 1. 2. 8. et 9. de Sepulturis.* Quanta verò cunque hæc fuerit portio, semper tamen nomen *quartæ* retinet; dicta vulgò *Quarta funerum, funeralium, mortuorum, vel parochialis.* Ecclesia quidem nunquam non improbat exactiorem pro sepultura: unde Greg. M. *Lib. VII. Indict. 2. ep. 56.* graviter de quodam Episcopo conqueritur, quòd pro sepultura centum solidos exigere non erubuerit. Eandem consuetudinem, quam illicitam *ibid. Ep. 4.* vocat Gregorius, reprobarunt quoque secutis temporibus Leo IV. *Ep. de Cura Pastoralis*, Hincmarus Remensis *Capit. I. cap. 12. et III. cap. 2.* Honorius III. *Cap. 13. de Sepult.* et Concilia Provincialia per ea tempora habita; quinimmo Alexander III. *Cap. 8. et 9. de Simonia*, eandem eum simoniacam damnat. Attamen nunquam vetitum fuit spontaneas, vel ab ipsis defunctis relictas, vel ab hæredibus collatas oblationes recipere. Id quod iisdem illi Romani Pontifices, et Concilia Provincialia permittunt, quæ exactiones vetant; (***) præcipue laud. Syn. Brac. I. *Capit. XXI.* alias *Can. XXXVIII.* dein Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. XVII.* Postremo Syn. Compost. an. 1565. *Act. III. Decr. 10. et Leg. I. Tit. XIII. Part. I. (*)* Unde Gregorius M. ead. *Epist. 56.* subdit: *Si quidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes pro luminaribus sponte offerre quid voluerint, accipere non velamus.* Verum hac in re quum frequenter lites exorirentur, tum ex parte laicorum contra Clericos pecuniam pro sepultura, et exsequiis exigentes, ac extorquentes, tum ex parte Clericorum adversus laicos pias, laudabiles, ac receptas offerendi consuetudines infringentes: hinc Ecclesiasticis sanctionibus statutum est 1. ut laici receptas pro exsequiis offerendi consuetudines observent: 2. ut laici ad pias hæc servandas consuetudines possint per Episcopum urgeri: (***) Ad rem præf. Syn. Hispal. *ibid. Præcipimus, ne vendantur sepultura, nec fiant super his pacta, nec conventiones, sed post sepultum corpus detur Ecclesie elemosyna juxta consuetudinem, quæ in talibus casibus observata fuit, et observatur. Et ut circa hoc Juxta Ecclesie observari faciat consuetudinem, quæ in ea fuerit: (*)* 3. demum ut omnes, quæ hac de re exoriri possent laicos inter, et Clericos contentiones, vitentur, Episcopis insinuatum est, ut habita locorum, et personarum ratione modum quandam illis obla-

tionibus constituent, ac decernant, quid cuique juxta laudabilem consuetudinem offerendum sit: id quod Synodi præsertim Provinciales præstitere. (***) Ferdinandus de Loazes in Syn. Barcinon. an. 1564. in *Compil. Tarracon. Lib. III. Tit. XVI. cap. 3. (*)* Jure Neap. novissimo Diplomate Regio an. 1754. jura Parochialia circa exsequias sancita sunt.

XIV. Jam verò hac in re plura Parocho, aliisque Clericis, ac ipsis etiam laicis cavenda eadem illa Concilia Provincialia præscripsere. 1. Clerici jura taxata, ac recepta quovis excogitato prætextu propria auctoritate augere, aut nova imponere non audeant: *Rituale Rom. de Exsequiis, Conc. Mediol. IV. Part. II. Tit. de Funer. et Exsequiis.*

2. Parochi, aliique Sacerdotes in horum jurium petitione nullum avaritiæ, vel aviditatis specimen præferant, neque cadaveris inhumationem differant eo prætextu, quod non satis de juribus solvendis pactum sit: *Conc. Prov. Neap. I. cap. 47. et II. Tit. II. cap. 4. (**)* præf. *Compil. Tarracon. Lib. V. Tit. II. cap. 1. (*)*

3. Neque Parochi ob consensum præstitum pro humanis fidelium cadaveribus in sepultura ab illis electa aliquid præter jura Parochialia exigant. Neque quidquam supra consuetum extorqueant eo prætextu, quod defunctus sit exterus: *Conc. Provinc. Neap. II. ibid. (**)* *Compil. Tarracon. ibid. (*)*

4. In Parochos, qui etiam à viventibus, quod ad aliam Parochiam deferri velint sepeliendi, aliquid sepulture nomine exigere ausint, Episcopi gravissimis pœnis animadvertere jubentur: *ibid.*

5. Cadaverum conditoria parietibus Ecclesiarum, aut Capellarum adfigenda non sunt: *Constitutio Pii V. Cum primum, et eadem Syn. Prov. Neap. ibid.*

6. Pauperum exsequiæ gratis exsolvantur, neque majorem pro sepeliendis divitibus, quam pro inhumanis pauperibus sollicitudinem Parochus, aliique Clerici efferant: *Eadem Syn. Prov. Neap. ibid.*

7. Regulares, in quorum Ecclesiam defuncti cadaver inferendum est, summam exorbitantem non exigant: aliter poterit Ordinarius hujusmodi turpi quæstui opportuno remedio prospicere: *S. Rit. Congr. in Una Neap. 16. Januarii 1677.*

8. Demum ipsis laicis inculcatum est, ne nimium fastum in exsequiis adfectent. *Jure Neap. Pragmat. an. 1754.* exsequiis, aliisque funebribus officiis modus statutus est. (***) *Jure canonico simul, et Civili Hispano sumtus, officia, atque exsequiarum luctus præscriptam etiam habent formam: Syn. Tolet. III. Can. XXII. et Tolet. an. 1323. Cap. XI. et Lege II. Tit. V. Lib. V. Nov. Recop. Sanct. IV. cap. 21. Tit. XII. Lib. VII. vulgò Autos Acordados. (*)*

XV. Igitur ex oblationibus Ecclesie electæ sepulture vel à defuncto relictis, vel ab hæredibus collatis *Quarta* illa deducenda est, quam Parochiæ deberi diximus. Id quod etiam intelligas de omnibus, et quibuscunque relictis Fratribus Prædicatoribus, et Minoribus nomine, et occasione sepulture: *Clement. Dudum, de Sepulturis.* Quinimmo quarta Parochiæ debetur, etiamsi quis in sepulero Majorum alibi exstructo sepeliatur: *Cap. 1. hoc tit.* Demum illud superest observandum, jure quartæ funerariæ Ecclesiam Parochialem decidere, ubi quadraginta annis cum titulo, vel sine titulo ab immemorabili tempore illa præscribatur: *Abbas in Cap. Certificari eodem.* Unde in Galliis, multisque Belgii Provinciis cura amplius in usu non esse testantur *Claudius Fleury Lib. II. Institut. Jur. Eccles. cap. 9. et Espenius Part. II. Tit. XXXVIII. cap. V. n. 37.*

XVI. Postremò paucis juvat complecti quibusnam Jure canonico Ecclesiastica denegetur sepultura. Ac primò regula Innocentii III. *Cap. 12. de Sepulturis* in hanc rem sic habet: *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non commu-*

nicavimus vivis, nec communicemus defunctis, et ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesie reconciliati fuerint. Ex qua regula ipsemet Innocentius *ibid.* constituit, excommunicatum in Ecclesiastico cæmeterio sepeliendum non esse; imò et sepultum esse exhumandum, si cadaver ipsius ab aliis discerni queat.

XVII. Igitur ab Ecclesiastica sepultura arcentur 1. excommunicati excommunicatione majori; id quod ex *Extravag. Martini V. Ad evitandum* ad eos tantummodo spectat excommunicatos, qui denunciati sunt, vel publicè Clericos percusserint.

2. Nominatim Interdicti, quippe qui et ipsi ab Ecclesiæ ingressu speciatim exclusi sunt: *Cap. 12. hoc tit. Cap. 17. de Verbor. significat.*

3. Hæretici, Schismatici, Apostatæ: nimirum ubi hoc nomine sint publice convicti, vel denunciati, aut publice hæresim profiteantur, vel ab Ecclesia recesserint, (**) eorumque fautores, ac receptatores, defensores, et credentes: *Cap. 13. de Hæreticis. §. 5. et Causs. 24. Quest. II. per totam. (*)*

4. Judæi, Pagani, Infideles omnes: atque etiam infantes mortui sine baptismo: *Can. XXVII. de Consecr. Dist. I.*

XVIII. His quoque Ecclesiastica sepultura deneganda est, quos in peccato mortifero decessisse verò satis est simile. Hujusmodi sunt 1. qui sibi mortem conciverunt, nisi constet id furore adactos egisse: *Can. XII. Causs. 23. Q. V. (**)* et præf. Syn. Bracar. I. *Cap. XVI. alias Can. XXXIII. (*)*

2. Item usurarii manifesti: imò, hi sepulti exhumandi sunt, si eorum ossa ab reliquorum ossibus discerni possunt. Excipe, ubi constet eos ante mortem injustæ usurarum acceptionis pœnituisse; adhæc et cautionem de restituendis usuris præstitisse: *Cap. 2. de Usuris in VI.*

3. Qui præceptum annuæ confessionis, et paschalis communionis non impleverunt: *Cap. Omnis utriusque sexus de Pœnit. et Remiss. (**)* et Syn. Vallis-olæ. *Cap. XXVIII. (*)*

4. Mortuis in Torneamentis; porrò his licet pœnitentiam poscentibus non denegetur; adhuc tamen Ecclesiastica deneganda est sepultura: *Cap. I. de Torneamentis.*

5. Pugnantes in duello, sive ipsi duellantes, eorumque patrini: Concil. Trident. *Sess. XXV. Ref. cap. 19. (**)* et Syn. Arand. ad Durium an. 1473. *Cap. XX.* quia et plures in invitantes, et acceptantes duella jure civili pœnæ indictæ sunt: *Leg. X. et XII. Tit. VIII. Lib. VIII. Novæ Recop. et Sanct. I. et II. Tit. VIII. Lib. VIII. vulgò Autos Acordados. (*)*

6. Raptores, et Ecclesiarum violatores, sive qui violenter insurrexerint in rapinas, vel in Ecclesiarum violationes. Hujusmodi criminosi in extremis agentes, et peccatum detestantes, viaticum quidem accipiunt, haud verò Ecclesiasticam sepulturam, nisi de restituendis ablatis cautionem dederint: *Cap. 2. de Raptoribus. (**)* et *Compil. Tarracon. Lib. V. Tit. VIII. cap. 1. (*)*

7. Manifesti, et publici peccatores, qui sine pœnitentia decesserunt: *Rituale Rom. de Exsequiis.*

8. Fures, et Latrones in fragranti crimine occisi: *Cap. 2. de Furtis.*

9. Monachi mortui cum pecculo: *Cap. 2. et 6. de Statu Monachorum.*

10. Demùm corpora suspensorum in patibulo ad exemplum, et terrorem aliorum manent insepulta, et omnium oculis exposita à bestiis, et ære consumenda. Verùm id non ex Ecclesiæ legibus, (**) quæ expresse suspensorum cadaveribus sepulturam indulgent: Syn. Wormat. an. 772. *Cap. de his qui suspenduntur in*

patibulis; (*) at jure Romanorum: *Leg. I. Dig. de Cadaver. punitorum.* Quinimmo ex *Leg. II. ibid.* requirebatur omnino consensus Principis, ut sepeliri possent. Verùm consuetudo invaluit, ut à Judice peti possent. Neap. jus Romanum hac in re vigeat: at sensim factum est primum ut eorum ossa ex loco profano, ubi jacerent, bis in anno colligerentur ad locum sacrum religioso comitatu deferenda; dein tandem mos inductus est, ut statim è patibulo ablata ad Ecclesiam deferantur inhumanda. (**) In Hispania jus Romanum diu quoque viguisse videtur, et confirmatum etiam à Syn. Bracar. I. laud. *Cap. XVI. alias Can. XXXIII.* iidemque mores inducti sunt, colligendi bis in anno ossa ultimo supplicio adfectorum ad ea in loco sacro sepelienda; dein verò in toto Regno, excepta civitate Valentina, æque usus invaluit, tradendi eadem die Ecclesiasticæ sepulturæ; at licentia à Governatore Regii Tribunalis ad criminalia deputati, vel à Judice sententiam exequire, obtenta: id quod hodierna praxis servat. Tandem ea suspensorum cadavera, quorum discepta membra ad publica viarum loca appenduntur, semel in anno Sabbato ante dominicam Passionis ad sepulturam efferuntur. (*)

CAPUT DECIMUS QUINTUS.

DE MONASTERIIS HOSPITALIBUS, ET LAICORUM CONFRATERNITATIBUS.

I. De Monachis, et Regularibus satis jam *Lib. I. Tit. ult.* actum est. Tantummodo de Monasteriis, ac de Episcoporum in eadem auctoritate juvat hic pauca dare: *monasterium* igitur propriè locum significat, ubi homines solitarii degunt; at generatim pro quocunque loco concepto usurpatur, ubi plures ad certam constitutam regulam communem vitam agunt: qui, uti *ibid.* explicavimus, pro diversa Instituti sui ratione *Monachi, Mendicantes, Canonici Regulares, vel Clerici Regulares* dicuntur.

ARTICULUS I.

QUENAM IN NOVA MONASTERII ERECTIONE SERVANDA SUNT.

II. Illa semper Disciplina in Ecclesia viguit, ut nullum exstrui posset Monasterium, nisi prius impetrata Episcopi Diocesani venia: Concil. Chalced. *Can. IV. (**)* recepto in Syn. Barcinon. an. 450. *Can. X. (*)* Concil. Agath. an. 506. *Can. XXVII. (**)* confirmato in Syn. Ilerd. an. 546. *Can. III. (*)* Concil. Epaon. an. 517. *Can. X. Justin. Novell. V. cap. 1. (**)* et Alphonsus Sapiens *Leg. I. Tit. XII. Part. I. (*)* et Trident. *Sess. XXV. de Regularibus cap. 3.* Porrò plura hac in re Episcopis cavenda sunt, 1. ne nova Monasteria cum aliorum detrimento exstruantur: qua de re Clemens VIII. Bulla *Quoniam ad Instituta,* et Gregorius XV. Constitutione *Quum alias* interdixerunt Episcopis novi Monasterii erigendi facultatem impertiri, nisi prius advocatis, et auditis Prioribus, vel Procuratoribus conventuum loco, ubi novum exstruendum est Monasterium, necnon et aliis per quatuor millia passuum circumjacentium, indè constiterit novum siue veterum incommodo bene erigi posse.

2. Nullum Monasterium, aut cujuscunque ordinis, vel instituti domum ædificari sinant, nisi ubi in eo duodecim saltem monachi, sive religiosi degere, et ex relictibus, consuetisque fidelium elemosynis sustentari quiverint: Gregorius XV. *ibid.*

3. Parochum quoque, intra cujus Parochiæ limites novum exstruendum est Mo-